

uit, dignum duximus insistendum. Igitur de *Actione et Passione*, de *Causa et Effectu* &c. Terminorum scholasticorum expositio sine Autoris nomine.

V. fol. 148. Tabula five, ut in fine, *Concordantie super totam sententiam fratris thome super 4<sup>o</sup> scripta sententiarum et super summam contra gentiles secundum ordinem alphabeti*. Item peculiaris *Tabula S. Thome super 4<sup>o</sup> Scripta sententiarum*.

Anteriori Codicis Thecae praetexta est Membrana Tractatus cujusdam Rabbinici de Architectura eleganter scripta, in qua excitatur רב נירל Wolfio ignotus, fortasse *Geraldus*, aut *Giraldus* aliquis *Italis*, et רב חייא בר יוסף, qualem igitur non confinxit *Plantavitius*, ut idem censuit *Wolfius Bibl. Hebr. T. I. p. 366.*

## DXIV.

U. 438 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 184. f. partim lineis longis, partim per duas columnas exaratus, et rubricis distinctus, olim *Collegii*, ut in Theca postica notatum, *Rubeo rose* Varia completitur hoc quidem ordine: I. ut e calce adsumo, *Summam sententiae editam a fratre iacobo de losanna quondam prouinciali francie*, eandem scilicet et eadem prorsus ratione, ut in superiori *Codice*. Adjecit minio quidam: *Hac lectura usus sum anno &c. (14) undecimo et utar pro sequenti si deo placuerit, cui sit gloria in eternum*. Sane prudenter; mihi enim semper ab-

sonum visum est, quemvis novum Doctorem ad compilandas novas Praelectiones aut adigi, aut admitteri.

II. fol. 75. succedunt Conclusiones IV. *Librorum Sententiarum* hoc ingressu: *Ad preces studentium dum essem lector in monte pessulano et ut fratres pauperes sub compendio sententias haberent librorum sententiarum*, Ego frater Jo. de fonte ordinis fratrum minorum per modum conclusionum sententialiter distinctionem quamlibet ejusdem voluminis recollegi. Et primo quovis libro subdens conclusiones in quibus magister a doctoribus non tenetur. Initium: *Veteris ac noue legis. Dist. I. habet X. conclusiones. Prima est quod tractatus sacre pagine &c. Finis Libri IV. agentes gratis de sua liberatione visa in priorum ineffabili calamitate. De Autore, ut etiam alibi dixi, nihil mihi constat, nisi Galum fuisse.*

III. fol. 100. Prolusiones II. *Academicæ*, in principio Praelectionis *LL. Sententiarum* III. et IV. habitae *Viennae*, prior quidem in Quaestionem: *Vtrum Lex dei increata sit cuiuslibet alterius legis regulatiua?* Altera in Quaestionem: *Vtrum Lex sacramentorum per christum hominem ecclesie concessa sit humane nature lapsu reparatiua?* In utraque Prolusione Autor concurrentes suos in *Lectura Sententiarum* vocat *M. Vtricum de Patavia*, qui jam a. 1415. *Academiae Rector* praefuit, et *Johannem de Basilea O. P.* quem in secunda *Priorem Conuentus ad-*

pellat, non illum sane, quem *Questifus* jam a. 1389. *Lombariensem* in *Occitania* Episcopum facit. Pro-  
lusio prior habita ad calcem dicitur: 1411. anno in festo sancti timothei quo tempore moriebatur *Marchio Morauie*, nempe *Jodocus*; altera anno &c. XI. sexta post festum sancti Andree quo anno honorabilis vir *Magister Johannes Berwardi* manibus occubuit malignorum, cuius anima per dei piam misericordiam requiescat in pace Amen. Vir hic, qui jam a. 1401. et iterum 1403. Rector Academiae praefuerat, ejusdem Nuntius ad *Johannem XXII.* recens creatum *Italiam* petierat. Reducem occubuisse ait Auctor *Conspect. Hist. Univ. Vien.* p. 97. et quidem in *Hetruria*, quod mox Lector *Augustinianorum* ad *Literas*, resque ejus *Florentia Viennam* adferendas missus fuerit, sed violentam ejus fuisse mortem ignoravit.

IV. fol. 112. p. 2. Elenchus Nominum celebrium PP. et Doctorum nullo ordine servato. Primus *Scotus*, dein *Bragwardinus doctor profundus*, *Gregorius de Arimino legit* anno 1344. *parisius*, reliquis nihil additum. Ignotiores sunt: *Adam*, fortasse de *Marisco* O. M. *Anglus*, *Craton*, *Syrassridus*, *Brinckl*, fortasse *Petr. de Bruniquello* O. S. Aug. *Elephant*, nempe *Rob. Eliphat* O. M. *Anglus*, *Jacobus de alta villa*, memoratus *Trithemio Abbas Eberbac.* *Johannes de Ripa* notus *Gesnero*. Subjecit Compiler: *Hec scripsi anno (14) XII. circa fe-*

*stum sancti pauli quo tempore dominus rex ungarie Sigismundus in 2<sup>o</sup> anno sue electionis ad regnum romanorum litem magnam iniit cum venetis* (Sabell. *Ennead. IX. L. 9.*) et tunc dominus *Ernestus dux austrie* (nuptiarum cum *Cimburgi Massovia* causa) fuit in *kracovia*. V. fol. 113. Elenchus *Questionum*, quae formari possunt ex *Epistolis Canon. Petri et Job.* hoc initio: *Ysti sunt tituli questionum super prima epistola beati petri. Capitulum primum, lectio prima. Vtrum aliquis possit credere uel diligere deum, quem nec vidit nec cognouit &c. Fol. 127. idem labor in Epistolam Jacobi continuatur.*

VI. fol. 114. rursus duae *Profusiones pro principio*, ut ait Auctor, *meo tertio*, et *Questio principij quarti*. Ad prioris calcem notatur: *Anno Domini M. CCCC. XII. in die Sancti Marci scriptum. In scolis vero factum est hoc principium anno eodem in die Gottbardi cum Magister meus Reverendus Magister Lampertus (de Geldria quater Academiae Rector, mort. 1419.) esset in Ungaria (occasione fortasse Cruciatæ contra Ladislaum) et ante hoc ad octo dies direxi Magistro Jo. (Rudolphi de) Hamelburg 32. florenos per Dominum Heinricum Weistum capellanum kreyer. Ad posterioris: Anno &c. XII. hoc principium finiui scribendo, secunda feria ante festum sancti Mathei apostoli ipsumque in scolis pronuntiavi in crastino ejusdem apostoli, scilicet quinta feria, erat illud festum quarta*

quarta feria, cum quatuor tempora &c. instarent. Item: Tunc recessit Juuenis Schenk de Limpurg (Academiae, ut videtur, discipulus). Zetter, Gruer detenti per principem Albertum 5<sup>um</sup> (homines fortasse factiosi uni Tutorum ejus adhaerentes). Tunc erat magna pestilentia in franconia. Haftenus homo temporum suorum curiosus.

VII. fol. 128. Concordancie, ut e calce adfumo, super totam summam fratris thome super 4 scripta sententiarum et super summam contra gentiles secundum ordinem alphabeti. Accedit Alia tabula super scriptum quarti (Sententiar.) et Contradictiones sancti thome, quibus tamen alia manus superimpofuit: Has contradictiones non credo omnes posse reperiri in scriptis sancti Thome. Quin et ipse Librarius ita finit: De his autem contradictionibus vide concordanciam in quodam libro super hoc specialiter compilato. Nos jam utrumque alibi hoc Volumine retulimus.

VIII. fol. 170. Articuli, ut in calce habetur, Parysius dampnati. Habetur ejusmodi Syllabus in Bibl. PP. Lugd. T. XXV. p. 329, alius ad calcem Sententiarum Pet. Lombardi edit. Lovan. 1546. f. Omnes habent Stephani Templarii Ep. Parisini Praeloquium, quod incipit: Universis presentes literas inspecturis Stephanus permissioe diuina parysiensis ecclesie minister &c. sed istud aliis a. 1270. aut 77. nobis vero a. 1286. datum est. Praeterea Articuli in nostro Codice ad alphabetum coordinati

sunt, et adpendice instructi, quae VII. Articulos continet circa formam Corporis humani Oxonii condemnatos nulla temporis addita mentione.

IX. fol. 175. Hic annotatur Decretum abbreviatum, in quo sub planis verbis continetur tota vis id est intencio decretorum, omnes distinctiones, cause et cuiuslibet cause questiones, et cuiuslibet questionis solutio regulariter declarata prout secundum Magistrum Gratianum determinantur in decretis. Haec Inscriptio labore levat plura dicendi. Addit tamen Scriptor: Explicit Auratum. (Decretum?) satis incorrectum propter exemplar.

X. fol. 178. p. 2. Incipiunt Rubrice et principia decretalium in quinque libros ipsarum; videlicet Gregorii IX.

XI. fol. 184. p. 2. Vfus chilindri. Initium: Pars 8 que est de usu chilindri 4<sup>o</sup> habet Capitula, quorum primum est de altitudine solis, 2<sup>o</sup> de punctis umbre, 3<sup>o</sup> de horis diei 4<sup>o</sup> de altitudine rei. Succincta ad Gnomonicen Institutio, nescio unde, evulsa.

## DXV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 314

XIV. Folior. nunc 180. f. maj. per duas columnas caractere crassifuculo, pallidiore exaratus, coloribus illustratus, sed aevo aliquantum adtritum, et olim, ut Theca praefert, a M. Petro de Pirchenwart datus ducali Collegio Commentarius vastus est in Libb. I. et